

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0332

0330

0336

0326

0341

0321

0381

0281

0431

0231

0831

319

Misit ergo nuntios ad Soldanum cum muneribus post perditionem Achon et emigrationem Christianorum, petens ab eo, quatenus in Jerusalem habitare permetteret aliquos latinos clericos pro custodia sepulchri Christi, et si hoc ob amorem Christi facere non vellet vel ob precum suarum instantias, saltim tamen facere deberet ob sui nominis divulgationem et gloriam, quia per intromissionem aliquorum Latinorum non solum per orientem sed per occidentem nota ejus magnificentia fieret. Annuit ergo precibus Papae Soldanus, et clericos religiosos ac pacificos mitti jussit Jerosolymam, et praeter hoc ordinavit cottidianas eleemosynas ad Christianorum hospitale in Jerusalem. Papa ergo elegit de fratribus sui Ordinis, Minoribus, aliquos maturos, doctos et constantes, misitque eos Jerosolymam, ut loco omnium de Romana ecclesia in ecclesia dominicae resurrectionis Officia divina perficerent, ne illa sanctissima ecclesia omnino Latinis orbata staret. Venientes autem dicti patres in Jerusalem, cum nondum haberent ibi domum, declinaverunt ad hospitale commune peregrinorum et in magna miseria et defectione ibi aliquibus annis sine domo deguerunt et non nisi de exiguis eleemosynis peregrinorum vixerunt.

Porro anno Domini MCCC. fuerat sanctus Ludovicus Ordinis fratrum Minorum episcopus Tolosanus per Bonifacium VIII factus. Et hic sanctus Ludovicus erat nepos sancti Ludovici regis Franciae, filius Caroli et frater Ruperti, regis Apuliae, Calabriae, Siciliae et Jerusalem. Hic sanctus praesul, cum calamitatem fratrum Minorum audivisset et miserias in Jerusalem, quas patiebantur, venit in Siciliam ad fratrem suum Rupertum, regem Jerusalem, pro salute fratrum et cor regis in amorem Ordinis convertit exponens ei, quomodo in Jerusalem, civitate sua, in defectu degerent, loco totius ecclesiae latinae, et nec domum ibi haberent, sed in hospitali manerent. Rex ergo his auditis, compositis regni sui negotiis et assumtis aliquibus fratribus Minoribus secum in Syriam, loca sancta tamquam humilis peregrinus visitaturus, navigavit. Ascendit autem in Jerusalem in salvo conductu Soldani et visitatis, visis et deosculatis locis sanctis descendit in Aegyptum ad Soldanum, (B) petens ab eo, dari sibi pro fratribus Minoribus, quos alias in Jerusalem habitare consenserat,

Ende

Anfang